PARS III.

Scripturæ S. Sensus, ejus inveniendi Regulæ, & Subsidia.

I.

Sensus S. Scripturæ generatim & passive sumptus est *Veritas per verba ex intentione Spiritus S. significata.* Duplex est: *α. literalis*, sive *historicus*, quem scil. verba, sive proprie, sive metaphorice adcepta, ex intentione Spiritus S. proxime & immediate significant; quare & in *proprium* ac *improprium* subdividitur. *β. Mysticus*, sive *spiritualis*, qui non proxime & immediate per verba, sed per res verbis significatas indicatur, ita, ut ipsæ res per verba significatæ iterum res alias significent, qui rursus triplex est: 1. *Allegoricus*, spectans res omnes fidei, sive viæ in patriam, seclusis iis, quæ ad patriam spectant: sic allegorice Ismael & Isaac Abrahami filii, Apostolo teste (e) duo testamenta designabant. 2. *Tropologicus*, sive *moralis*, qui spectat ad mores: E. g. *Non alligabis os bovi trituranti* (f) adplicatur tropologice præconibus Evangelii. 3. *Anagogicus*, qui patriam spectat, nosque

(e) Gal. IV. 24. (f) I. Cor. IX. 9.

nosque sursum trahit: ita illud (g): *ut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*, literaliter terram promissionis; anagogice vero (h) vitam æternam indicat. Hos sensus *Lyranus* sequentibus versibus est complexus:

Litera gesta docet: quid credas, Allegoria:
Moralis, quid agas: quo tendas, Anagogia.

Not. 1. Addi his sensibus solet *adcommodatitius*, qui nec immediate, nec mediate per verba significatur, sed ad aliud quid ab hominibus extenditur: vim probandi quidem non habet; eo tamen non raro utitur Ecclesia in Divinis officiis, isque non inepte adhibetur a Prædicatoribus, modo ob oculos habeant normam a D. Ignatio Wurz (i) traditam: Der anspielende Verstand erfodert unumgänglich, daß ihm der buchstäbliche Verstand zum Grunde geleget werde, und daß sich zwischen beyden eine gänzliche Aehnlichkeit befinde.... Sobald man aber von dem buchstäblichen Verstande abweicht, so wird der ganze anspielende Verstand falsch. Quot porro modis ab hac norma declinari soleat, fusius declarat, exemplisque illustrat citatus, quem vide sis. — S. Scriptores N. T., dum verba ex V. T. adferunt, ea nequaquam in sensu accommodatitio usurpant; producunt enim illa in sensu per Spiritum S. interpo, non ornatus causa, ut falso prætendunt Grotius & Simo-

(g) Ps. XCIV. 11. (h) Heb. IV. 3. (i) Anleitung zur geistlichen Beredsamkeit. 1. B. 5. H. 178, 179, ꝛc. S.

Simonius; ſed ut Gentiles æque ac Judæos in Eccleſiam congregarent, probantes, impleta jam eſſe ea, quæ citant, Prophetarum oracula. Quod autem a Spiritu S. per Prophetas prædictum & intentum non eſt, impletum fuiſſe dici non poteſt.

Not. 2. Ss. Patres, & nonnulli Interpretes non ſemper adcurate prædictos ſenſus diſtinguunt, ſed ſubin ſenſum literalem improprium, ſeu metaphoricum vocant *myſticum* ob quandam ſimilitudinem cum ſenſu proprie myſtico. Item ſenſum proprie myſticum ſimpliciter dicunt figuratum, & omnem myſticum adpellant *allegoricum*, ſeu *allegoriam*.

II.

Triplex circa ſenſus iſtos moveri ſolet quæſtio: 1. num plures quandoque in eodem Scripturæ loco admittendi ſint ſenſus literales; 2. an literalis, & myſticus, æque a Spiritu S. in eodem loco intentus: 3. utrum ex ſenſu, quam certo vel ex Scriptura, vel declaratione Eccleſiæ conſtat eſſe myſticum, efficax & ſolidum ducatur argumentum. Ad quodlibet quæſitum adfirmativum tuemur reſponſum, ducti quoad 1. *authoritate* Ss. Patrum, præcipue S. Aug. (k), S. Chryſoſt. (l), S. Hier.

(k) L. 1. de Doct. Chriſt. c. 27. & L. 12. Confeſſ. c. 31. (l) Hom. 7. in I. ad Cor.

Hier. (m), omniumque passim Theologorum, *ratione* perita rum ex obscuritate, & profunditate S. Scripturæ, tum ex infinita Dei Sapientia, cui nec res, nec modi diversa simul eadem sententia significandi, deesse unquam possunt; tum ex indole linguæ Hebrææ ad hanc sensuum varietatem maxime adcommodatæ. Ad comprobandam sententiam istam adduci præterea possunt textus ipsius S. Scripturæ, duplicem sensum literalem involventes, E. g. Gen. 48. ℣. ult. in Hebræo, collatus cum textu vulgatæ latinæ ibid., & verbis S. Pauli ad Heb. XI. 21. Item Is. 53. ℣. 8. æque literaliter de æterna Christi generatione, ac temporali in utero Virginis intelligendus, &c. Quoad 2. adfirmantem ut contra Abulensem, Erasmum, pluresque Protestantium Doctores, & R R. Hebræos propugnemus sententiam, incitat Scriptura S., qua docemur, E. g. dicta literaliter Exodi XII. 46. de agno paschali, mystice, teste S. Joan. C. XIX. 36., de Christo Domino, & Oseæ C. XI. de filiis Israel ad literam, de filio Dei in sensu allegorico ex intentione Spiritus S. adcipienda esse: subfragatur mens Ecclesiæ, quæ sensu mystico quandoque in Conciliis est usa, com-

 plurium

(m) Epist. 103. ad Paulinum.

plurium etiam Ss. Patrum, quos recenſet Bonfrerius (n), conſentiunt & ipſi Hebræi antiquiores, qui, referente Galatino, ſenſum literalem *dabhar Katon* (o) *verbum parvum*, myſticum vero *dabhar gadol* (p) *verbum magnum* ex reverentia nominarunt. Nonne demum adſertum iſtud plenam in lucem ponunt verba S. Pauli (q): *omnia in figura contingebant illis* (judæis), item formula a Ss. Scriptoribus N. T. toties adhibita: *ut impleretur Scriptura* &c.? Ex his facile contra Grotium & Simonium fluit ratio adſerti 3tii quæſiti; uterque enim ſenſus a Spiritu S. eſt intentus; ipſique Ss. Scriptores N.T. non literali modo, ſed & myſtico ſæpe ſenſu, ut legenti patet, uſi fuere, non ornatus cauſa, ſed ad doctrinam traditam firmiter comprobandam.

Not. 1. Plures ſenſus literales eidem Scripturæ loco quandoque convenientes nequaquam ſententiam reddunt ambiguam, fallacem, & oraculis Dæmonum ſimilem; cum Deus non intendat decipere, ut idola gentium, ſed inſtruere, nullumque ſenſum præ altero abſcondat; ſed omnes Doctorum & Interpretum ſtudiis velit declarari.

Not. 2. Non omnem ſenſum myſticum, ſed dubium duntaxat, & criterio infallibili deſtitutum

(n) Proloq. c. 20. Sect. 1. (o) רבר קטן (p) רבר גרל (q) I. Cor. X. 11.

tutum rejecere varii Ss. Patres. *Quis nonnisi impudentissimus nitatur, in Allegoriis positum pro se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine manifestentur obscura?* S. Aug. (r).

III.

Regulæ verum Scripturæ sensum, a Spiritu S. intentum, inveniendi aliæ concernunt sensum literalem, aliæ sensum mysticum. Potiores, quæ sensui literali inveniendo inserviunt regulæ, sunt sequentes: 1. Frequens, & adtenta instituatur lectio, & collatio Scripturarum, id est, tum textus cum textu; *magnifice, & salubriter*, ait S. Aug. (s), *Spiritus S. ita Scripturas modificat, ut locis apertioribus fami occurreret; obscurioribus autem fastidia detergeret; nihil enim fere ex iis obscuritatis eruitur, quod non alibi planissime dictum reperitur*: tum codicis cum Codice, Latini v. g. cum obscurior adpareat, cum Hebræo, vel Græco fonte, in quo liquidum & perspicuum non raro reperitur, quod in rivulis non adeo clarum est. Cavendum vero, ne in ista collatione textus Vulgatæ clarus deseratur ob ambiguum sensum fontis Hebræi, maxime si diversitas ex punctatione Masoretharum

(r) Epist. 48. (s) L. 2. de doct. Christ. c. 6.

rum ortum trahat. 2. Conferantur antecedentia, & consequentia cum textu, cujus sensus investigatur; Regula hæc, etsi ei in Psalmis subinde, Prophetis, & sententiis nullam cum adjunctis relationem habentibus, locus non sit, maximi profecto momenti est, & commendata a Patribus, signanter S. Cyrillo (t), S. Hilario (u), S. Aug. (w) S Hieronymo (x) &c. Ope hujus Regulæ deprehenditur, illud ps. XVII. 26. *Cum sancto sanctus eris*, &c., quod vulgo usurpatur, ac si ibi commendetur familiaritas bonorum, dici de Deo, sensumque esse, Deum cum sanctis sancte, id est, liberaliter acturum fore, dando præmia, &c. 3. Reflectatur ad scopum, quem sibi Scriptor S. præfixit, & ad circumstantias, ut vocant, historicas, v. g. *loci*, & *temporis*, in quibus scripsit, *modi loquendi* tunc usitati; quippe quæ, testibus experientia, & S. Hier. (y), loca plurima, alias perquam intricata, reddunt perspicua. 4. Videatur, an non adsit interpretatio authentica facta ab Ecclesia in Conciliis, aut a Ss. Pontificibus, adcedente consensu Ecclesiæ dispersæ; in iis enim scripturarum locis, in quibus dogmata fidei continentur, au-

(t) L. 8. Thesauri c. 2. (u) L. 9. de Trinit. (w) L. 83. QQ. quæst. 69. (x) in Cap. 29. Isaiæ. (y) L. 2. in Jerem. C. 18.

audiendus ille cætus est, quem Spiritus veritatis omnem veritatem docet. 5. Ss. Patres consulantur, qui si unanimes sint in reddendo textus sensu, is genuinus reputetur; si vero varient, neque ab Ecclesia res decisa sit, liberum erit cuique, quem veriorem judicaverit, amplecti; quanti faciendus sit consensus Ss. Patrum, docet nos ipsa Ecclesia. Unde illud in Conciliis toties conclamatum: *Hæc est fides Patrum!* 6. Scripturæ S. verba expendantur ad fidem, & mores, queis si verba, proprie adcepta, repugnent, tum demum, alias nunquam, metaphorice sunt exponenda; Regulam hanc tradit S. Aug. (z) adserens: *Theologi colligunt, semper verborum proprietatem retinendam esse, nisi bona quædam ratio tropum suadeat.* Fluit exinde, illud Math. XVIII. 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum* &c. improprie exponendum esse.

Not. 1. Contra Regulam ultimam, observante Cl. Goldhagen (a), peccant Zwinglii, & Calvini adseclæ, qui in verbis: *Hoc est corpus meum*, tropum admittunt: item, qui cum Münzero in illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c., per *aquam* tribulationem significari contendunt.

Not. 2. Quoad Regulam quintam juste adplicandam ob oculos habeatur monitum Vincentii

(z) L. cit. C. 10. (a) Introd. P. I. Sect. I. q. 7. pag. 172.

tii Lyrin: *Antiqua Ss. Patrum conſenſio non in omnibus Divinæ Legis quæſtiunculis, ſed ſolum in fidei Regula, magno nobis ſtudio & inveſtiganda eſt, & ſequenda.*

Not. 3. Regulæ adductæ non æque ſubſerviunt ſenſui myſtico adoptando; ſed hunc admittendi rationes ſubficientes potiſſimum ſunt: Si Scriptura ipſa vel expreſſe vel implicite rem quandam aut perſonam in altera tanquam ſymbolum contentum docet: ſi Eccleſia judicio univerſali locum quendam myſtice intelligendum quoque eſſe, docet; ſi Patres communiter locum myſtice interpretantur.

IV.

Regulis jam ſtatutis adcedunt varia ſubſidia, quæ ad rite intelligendas Ss. Scripturas, viam aperiunt certiſſimam. *Intrinſeca* alia ſunt, alia *extrinſeca*: *Intrinſeca* tam ad intellectum, quam ad voluntatem lectoris & Interpretis Ss. Literarum pertinent. Ex parte voluntatis requiritur conſcientia munda, animi demiſſio, magna adſiduitas, & crebra oratio; eſt quippe *Principium ſapientiæ timor Domini* (b). *Et ubi humilitas, ibi ſapientia* (c). *Superbis autem Deus reſiſtit* (d), *nec in malevolam animam introibit ſapientia* (e) Ex parte intellectus exigitur cognitio Scientiarum, Philoſophiæ, Artis Criticæ, Rhetoricæ, Poeſeos, Chro-

(b) Prov. I 7. (c) Prov. XI. 2. (d) I. Pet. V. 5. (e) Sap. I. 4.

Chronologiæ, ac Geographiæ, Linguarum quoque præprimis Hebraicæ & Græcæ; cum omnis lingua propria quædam locutionum genera habeat, quæ, cum in aliam linguam transferuntur, vel obscura videntur, vel absurda, cognito autem locutionis genere dilucescunt, & placent. *Extrinseca* subsidia sunt codices, versiones, & interpretationes ab aliis factæ: huc præter opera variorum Ss. Patrum tam Græcorum, quam Latinorum, qui se Ss. Literarum studiis totos ita consecrarunt, ut in iis consenuerint, & mortui sint, spectant etiam Recentiores S. Scripturæ Interpretes, & Commentatores, maxime ii, qui disciplinis biblicis probe instituti rem ipsi examinant, sensum præprimis literalem inquirunt, quique pietate non minus, quam doctrina sunt decorati. Hos inter laudari merentur Aug. Calmet, Em. Sa, Joan. Steph. Menochius, Bened. Pererius, Wilh. Smits, & alii plures laudati a D. Goldhagen (f).

Not. Quoad Idiotismos & figuratas Hebræorum & Græcorum loquendi formulas, consulantur Institutiones Grammaticæ utriusque linguæ. Quæ Chronologiam S., & Geographiam concernunt, repeti possunt ex operibus Calmeti, Menochii, & Wilh. Smits. Monetarum,

(f) Introd. in S. Script. P. II.

tarum, de quibus in Scripturis Ss. fit mentio, & Menſurarum tam liquidorum, quam longitudinum declarationem legere licet apud Th. Holzclau (g). Coronidis loco accipe pauca de Veteri Hebræorum Calendario: Annum Hebræi habuerunt luni-ſolarem, id eſt, per menſes lunares computatum, & intercalationis ope ad noſtrorum annorum ſimilitudinem reductum, confr. R. P. Wilh. Smits (h). Menſes habebant duodecim; ſed altero quovis anno decimum tertium numerabant menſem *Veadhar alterum adhar* dictum, alternis vicibus jam 22, jam 23 diebus conſtantem, ut ſic ad æqualitatem annorum ſolarium pervenirent; dies enim 354. duntaxat complectitur annus lunaris, adeoque diebus 11, & horis 6 circiter minor eſt anno ſolari. Porro duplex apud Hebræos erat anni initium. Unum menſis primus, ſeu *Niſan* erat tempore verno, inſerviebatque anno *Sacro*, juxta quem Hebræi ordinabant feſta ſua: alterum menſis ſeptimus *Tiſchri* ſub æquinoctium autumnale erat pro anno *Communi*, juxta cujus calculum omnes civiles contractus, & politica negotia pertractabantur; ab eodem recenſebantur Anni *Sabbaticus*, quo ſeptimo quovis anno terra cultura vacabat, & *Jubilæus*, quo anno quovis quinquageſimo ſervi ſui Juris fiebant, & fundi ad priſtinos redibant Dominos. Menſes, ut ex Geneſi colligere licet, apud veteres Hebræos certa non habebant nomina, ſed primus, ſecun-

(g) Inſt. Script. pag. 231., & ſeqq. (h) Prol. Pentateuchi C. VI. Art. 2. §. 2.

ſecundus &c. dicti ſunt: quæ vero poſtea ſortiti ſint nomina, queis noſtrorum menſium reſpondeant, quotque complectantur dies, exhibet Schema ſequens:

Menſes Anni ſacri	reſpond.	Dier.
I. *Niſan.*	Mart. & Aprili	30.
II. *Ziv* ſeu *Jiar.*	Apr. & Majo	29.
III. *Sivan.*	Maj. & Jun.	30.
IV. *Thammuz.*	Jun. & Jul.	29.
V. *Abh.*	Jul. & Aug.	30.
VI. *Elul.*	Aug. & Sept.	29.
VII. *Tischri*, Anni com. init.	Sept. & Oct.	30.
VIII. *Marschevan.*	Oct. & Nov.	29.
IX. *Casleu.*	Nov. & Dec.	30.
X. *Thebeth.*	Dec. & Jan.	29.
XI. *Schebhat.*	Jan. & Feb.	30.
XII. *Adhar.*	Feb. & Mart.	29.
Summa Dierum		354.

Anno quovis ſecundo addebant Menſem *Veadhar* jam 22, jam 23 dierum, ut dictum ſupra; ſicque prætermiſſi dies Anni ſolaris recuperabantur.

Tantum.